



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119185

§. 45. Epistola Mechliniensis Archiepiscopi ad Cardinales Inquisitionis
Romanæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

Sæc. XVII. logiam practicam per omnes articulos
A. C. 1653. fidei, disputationes de antiqua fide Ca-
 tholica & aurifodinam Theologicam.
 Hic idem Præco Lutheranus, dum
 Tremonix apud Westphalos vige-
 sima prima Novembris die in Lutheri
 sui honorem concionari decrevisset,
 priusquam cantilena ante concionem
 præcini solita absolveretur, ipse in Sa-
 cristia subsistens, inopina apoplexia cor-
 reptus est, moxque ibidem animam
 evomuit. Ea re in vulgus sparsa, fere
 communis omnium erat opinio, quod
 jactabundus hic Præco, eo quod indigna
 laude festivum Lutheri diem in loco o-
 lim sacro celebrare statuisset, ex inspe-
 rato Divinam Nemesein hujus sacrilege
 temeritatis ultricem expertus fuerit.
 IX. Christophorus Elderfield tractatum e-
 vulgavit de regeneratione & Baptismo
 præter aliud opus de jure decimarum
 civili.

§. XLV.

*Epistola Mechliniensis Archiepiscopi
 ad Cardinales Inquisitionis
 Romane.*

*Argentre
 Coll. Jud. de
 nov. error.
 t. 3. p. 268.*

Jam anno priori memoravimus, quod
 Jacobi de Boonen Mechliniensis Ar-
 chiepiscopi jussu & auctoritate quædam
 nimis laxæ doctrinæ Theologicæ fue-
 rint

Sæc. XVII.
A. C. 1653.

rint proscriptæ, vetitumque, ne ullo pacto in usum deducerentur, nec tamen propterea nonnulli probabilismo assueti ad arctiorem doctrinæ viam revocari poterant, quocirca Archiepiscopus, ut efficacius remedium malo opponeret, statuit, ut nullus ad Confessarii munus admitteretur, nisi jurato sponderet, quod nuper damnatas propositiones nulla ratione propugnare velit: quoniam vero insuperhabito hoc decreto ex Lovaniensibus Jesuitis nonnulli coram ipso Archiepiscopo examinati has doctrinas tenaciter tuerentur, eapropter illis Archiepiscopus confessiones excipiendi copiam concedere distulit, donec se in moderandis fidelium conscientiiis præfatas doctrinas minime amplexuros, juramenti religione se obstringerent. Inde vero Lovaniensis Societatis Rector se graviter læsum ratus, ceterorum nomine, datis literis ad sacram Congregationem Cardinalium Inquisitionis Romanæ de injuria querebatur: nec furdas Romæ pulsabat aures; præfata enim Congregatio die decima octava Aprilis Archiepiscopo injunxit, ut approbatis confessiones excipiendi facultatem concederet, nisi justas causas, quas intra trimestre allegaret, hanc licentiam denegandi habuisset. Receptis igitur hisce literis
Archi-

Sæc. XVII. Archiepiscopus suam agendi rationem
 A. C. 1653. vindicaturus, die decima septima Julii
 Bruxellis ad præfatam Congregatio-
 nem sequentes dedit literas.

*Eminentissimi ac Reverendissimi Patres
 ac Domini,*

„Sacræ vestræ Congregationis lite-
 ras die 18. Aprilis signatas, sequenti
 Maji die 21. recepi, quibus indicatu-
 eam precibus Rectoris Collegii Lovani-
 ensis Societatis Jesu hujus diæceseos in-
 clinatam, censuisse injungendum mihi
 ut Presbyteris Societatis Jesu ejusdem
 Collegii alioqui examinatis & appro-
 batis licentias audiendi Confessiones
 personarum Sæcularium concedere
 non prætermittam; nisi forsan aliquid
 in hoc subsit, quod animam meam
 contristet, justasque causas intra tri-
 mestre coram ipsa sacra Congregatio-
 ne allegandas, hujusmodi licentias
 denegandi habeam: Futurum alio-
 quin, ut alteri Episcopo Facultas de-
 mandetur, eosdem examinandi atque
 approbandi, si intra præmissum spa-
 tium congruas denegationis meæ ra-
 tiones proferre neglexero. „

„Hoc est, Eminentissimi Patres,
 quod vergente extrema Senectâ mea
 ad dandam supremo Judici totius vil-
 licæ

„licationis meæ rationem, supra quam Sæc. XVII.
 „dici potest, animum meum contristat; A. C. 1653.
 „quod non tantum mundum in ma-
 „ligno esse positum, sed quotidie vi-
 „deam in pejus & pejus refrigescente
 „Charitate declinare. Hujus miseran-
 „dæ declinationis causa (ut partim ex-
 „perientia propria observavi, partim
 „ex judicio & relatu virorum, qui mihi
 „ab integritate morum, Zelo anima-
 „rum, doctrina, & rerum usu probati
 „sunt, sæpius cognovi) prima & potis-
 „sima est hodierna multorum Confessa-
 „riorum indulgentia, qua nimis laxant
 „habenas peccatoribus, fidentes qui-
 „busdam noviter inventis opinionibus
 „quorundam Theologorum, quorum
 „studium non tendit ad sectandam
 „Evangelicam veritatem, & traditam
 „nobis a sanctis Patribus vitæ normam;
 „sed ad excusandas excusationes in peccatis,
 „& eorum turpitudinem pallio proba-
 „bilitatis obvelandam. De quibus Pro-
 „pheta Ezechiel: *Væ, qui consuunt pul-
 „villos sub omni cubito manus, Et faciunt
 „cervicalia sub capite universæ ætatis ad
 „capiendas animas.* In ejusmodi perni-
 „ciosis excessibus eo usque processum
 „est, ut si quis omnia insolentia para-
 „doxa ex quorundam Libris & praxi
 „excerpere velit, quibus hodie Ecclesiæ
 „præcepta de observandis jejuniis, fe-
 „stis,

Sæc. XVII. „stis, lectione horarum Canonicarum
A. C. 1653. „eluduntur: Simonix, privatæ vin-
 „dictæ, mendacia, perjurya palliantur;
 „obligatio vitandi occasiones peccato-
 „rum extenuatur: Sacramentorum va-
 „lor & effectus evidenti periculo nulli-
 „tatis exponuntur; non epistola una,
 „sed liber integer conscribendus foret.
 „Cum autem laxæ regulæ, quæ de-
 „pravatis hominum affectibus allube-
 „scunt, facile eorum iudicio probentur,
 „viri sibi sunt hoc successu earum
 „autores utilem Ecclesiæ operam præ-
 „stitisse, & ausi petulanter gloriari, se
 „probabilitatum rotis quotidie Cæli
 „viam ampliare, hoc est, se terminos
 „arctæ viæ, quæ ducit ad vitam, se-
 „mel a prima & inflexibili veritate fi-
 „xos, denuo propriis suis adinventio-
 „nibus refigere.,

„Dum adversus adulterinam hæc
 „Theologiam solidioris doctrinæ Chri-
 „stianæque disciplinæ cultorum quere-
 „las audivi; & non cessant hæretici no-
 „bis vicini improperare Ecclesiæ nostræ
 „Catholicæ, talia a quibusdam ejus
 „Doctoribus circa mores tradi, qualia
 „nec inter gentes audiuntur, laxiores
 „& periculosiores articulos, quorum co-
 „pia hisce jungitur, partim ex libris
 „publice editis, partim ex observatio-
 „ne praxis quorundam mihi fideliter
 „relata

Sæc. XVII.
A. C. 1653.

„relata colligi curavi, desuperque e-
 „ruditorum meæ Diæceseos, tum sæ-
 „cularium, tum Regularium iudicium
 „& censuram exquisivi. Quibus visis
 „& expensis conatus sum mollioribus
 „remediis huic malo occurrere, per me
 „& examinatores meos monendo ad-
 „mittendos ad excipiendas Confessio-
 „nes, ut sibi a laxiori doctrina cave-
 „rent, subinde quoque erudito aliquo
 „scripto curavi unum vel plures ex hu-
 „jusmodi articulis refutari. Sed cum
 „observaverim hanc cautelam nequa-
 „quam sufficere, & acrioribus remediis
 „opus esse, proposui non admittere vel
 „sæculares, vel regulares ad munus
 „Confessarii, nisi promitterent etiam
 „juramento, quod a dictorum articu-
 „lorum praxi sibi caverent. Contigit
 „sub hoc tempus, hoc est anno 1652.
 „die 28. Aprilis, sese præsentare exa-
 „mini plures Religiosos Societatis Jesu.
 „Iudicavi me oportune tunc posse exe-
 „qui, quod animo conceperam, & si-
 „quidem inchoando a dictis Religiosis
 „Societatis: tum quia existimabam,
 „quod dum illi ad dictam promissionem
 „præstandam & observandam essent vo-
 „luntarii, aliorum quoque Ordinum re-
 „ligiosi non essent refractarii: tum quia
 „Patres Societatis laxioribus doctrinis
 „inveniendis & practicandis præ ceteris
 „esse

Hist. Eccles. Tom. LXII.

Sæc. XVII „esse addictos, certis experimentis
 A. C. 1653 „dici: e quorum multis unum obser-
 „tum est in examine, anno & die fu-
 „pradictis coram examinatore a m-
 „deputatis instituto. In illo enim die
 „Religiosi Societatis ex proposito circ-
 „articulos periculosos examinati, ma-
 „tos ex illis mordicus sustinuerunt, m-
 „minatim illum (quem etiam aliunde
 „mihi constat a Religiosis ejusdem So-
 „cietatis aliquoties fuisse practicum
 „quod liceat Sacramentaliter absolven-
 „dimidiate tantum confessos, ratios
 „magni concursus poenitentium, que
 „lis, verbi gratia, potest contingere in di-
 „magnæ festivitatis aut Indulgentiæ
 „Quo semel admisso passim Confessione
 „non integræ erunt, cum dicti Patre-
 „ad sua Tempia trahant magnam pe-
 „puli frequentiam, & insuper grave
 „peccatores metu explicandi gravio-
 „sua crimina avide arrepturi sint oppo-
 „tunitatem obtinendi absolutionem, pra-
 „missa tantum explicatione unius ali-
 „riusve delicti. Hinc septem ex dictis
 „Religiosis Societatis, qui cæteroque
 „specimen sufficientis doctrinæ dede-
 „rant, distuli admittere ad Confes-
 „nes Sæcularium audiendas, donec
 „cum juramento promitterent, quo
 „non conformarent se præfatis artic-
 „lis in dirigendis conscientis. Quo-
 „ve

Sæc. XVII.
A. C. 1653.

„vero prævidebam fore, quod juramen-
 „tum non præstarent sine Superiorum
 „suorum assensu; hinc dictam copiam
 „articulorum illis tradidi, ut Superio-
 „ribus exhiberent, promiseruntque se
 „illis exhibituros. Sed nullum hæc-
 „nus responsum vel illi, vel Superiores
 „eorum mihi dederunt, nisi quod ab
 „uno e Societate, quem judicabam esse
 „Professorem in eorum Collegio Lova-
 „nienfi, mihi dictum sit, aliquos qui-
 „dem ex dictis articulis editos esse a
 „Jesuitis in Francia, sed Belgas ad ea
 „non attendere. Ad quod replicabam,
 „quod cum non soleant permitti im-
 „pressiones librorum Societatis, nisi
 „postquam a tribus Theologis per Pro-
 „vincialem deputatis approbati essent,
 „nemini dubium esse posset, quin om-
 „nes de Societate haberent pro proba-
 „bili id, quod tot Theologis cum au-
 „tore libri visum fuisset, imprimi posse.
 „Quibus omnibus consideratis hucus-
 „que non potui comprehendere, cur
 „per exactionem dictæ promissionis dicti
 „Patres sibi per me aliquod gravamen
 „inferri existimarent. Quodsi præten-
 „sa sua gravamina allegassent, ea ma-
 „ture expendissem, & si justas aliquas
 „querelas proposuissent, nequaquam
 „inhærere proposito meo voluissem: non
 „enim mihi mens fuit, quidquam ini-
 „quo

Sæc. XVII. „quo animo adversus illos statuere; se
A. C. 1653. „ruinam Salutis ovium mihi commissa
 „rum ab invalescente hodie laxitate
 „quorundam Confessariorum, quæ
 „præsertim e Societate verebar, ave
 „tere. Quia vero suspicari non pot
 „alio ipsos prætextu ad subterfugies
 „dum uti, quam quia forte inter ces
 „suratos articulos aliqui sunt, quæ
 „forsan existimant, benigna interpre
 „tatione se posse in meliorem partem
 „trahere, vel plausibilibus argumentis
 „ita stabilire, ut non videantur tan
 „acrem Censuram mereri, ne multat
 „intricatas disputationes sine spe utili
 „tatis cogerer ingredi, eosdem articu
 „los transmissi Facultati Theologica
 „Academiæ Lovaniensis maturius ex
 „pendendos, ut tantummodo excerptis
 „inde assertionibus, quæ plane eviden
 „tis sunt absurditatis, digna eos cen
 „sura perstringeret: & si quas alias p
 „ris absurditatis vel ex libris, vel e
 „praxi Confessariorum comperisset,
 „lis excerptis adjiceret, prout factum
 „est partim 30. Martii, partim 26. Apr
 „lis 1653. dum assertiones numero
 „judicavit in praxi non tolerandas,
 „authoritate Superiorum merito prohib
 „endas, ut ex adjuncta copia vide
 „potest. „

Sæc. XVII.
A. C. 1653.

„Ut igitur *Eminentissimi Domini*, man-
 „dato vestro in omnibus paream, quan-
 „tum possum, & interim in eliminandis
 „perniciosis doctrinis id, quod Episco-
 „palis est muneris, non prætermittam;
 „paratus ero Religiosos Societatis, quan-
 „do nihil obstabit aliunde, ad excipien-
 „das confessiones admittere: dummodo
 „cum juramento debite autorisati pro-
 „mittant, quod saltem 17. istis assertio-
 „nibus, quas similiter aliis tam Sæcu-
 „laribus quam Regularibus proponam,
 „nunquam in praxi se conformabunt,
 „Quod confido Eminentias vestras æ-
 „quissimum judicaturas. „

„Duo insuper sunt, de quibus Emi-
 „nentias vestras hac occasione certio-
 „res reddere volui: nimirum quod a
 „Regularibus non observetur Decretum
 „sacræ Congregationis negotiis & con-
 „sultationibus Episcoporum & Regula-
 „rium præfectæ, de die decima quinta
 „Junii anni 1647. quo declaratum, Re-
 „gularibus non competere licentiam ab-
 „solvendi a Casibus Ordinario loci re-
 „servatis, aut in posterum reservandis;
 „proinde non posse illa facultate uti
 „sine licentia ab Ordinario obtenta;
 „tametsi dictum Decretum curaverim
 „tertia mensis Octobris anni 1647. om-
 „nium ordinum Regularium Superiori-
 „bus insinuari. Nam unus tantum re-
 „gula-

Sæc. XVII. „gularis ex Ordine sancti Augustini fa
 A. C. 1653. „cultatem illam a me petiit, cui etiam
 „tanquam viro cordato & timorato eam
 „dem concessi. Cæteri prætendunt, ne
 „scio quæ privilegia, aut privilegiorum
 „communicationes, insuper Decreti no-
 „litate, quia ipsis inauditis eman-
 „rit. Alii dicunt, illud tantum esse
 „declaratorium, proindeque non vale-
 „adversus sua privilegia, quæ non ces-
 „sant sine Decreto, ut ajunt, abroga-
 „torio. Quin etiam aliqui sunt tan-
 „temerarii, ut audeant dicere, neque
 „dem Sanctissimum Dominum ipsorum
 „privilegia revocare aut limitare posse
 „cum sint eis concessa ob sua merita,
 „Alterum est, quod Regulares ple-
 „rimi in mea Diæcesi excipiant Con-
 „fessiones, etsi nec a me, nec a Præ-
 „decessoribus meis approbati sint; præ-
 „tendentes satis esse, quod approbati
 „sint ab alterius Diæcesis Episcopo
 „Ideoque nuper mandavi, ut ex copia
 „Mandati adjuncta patet, omnibus Re-
 „gularibus, ut nomina & tempus ap-
 „probationis a me, aut Prædecessoribus
 „meis datæ exhiberent: quod
 „plerisque factum est, & deprehensum
 „quoque, multos se intrusisse in munus
 „Confessarii in mea Diæcesi sine dictæ
 „approbatione. Sed, quod non satis
 „mirari possum, ubi mandatum illud
 „venit

„venit ad notitiam Abbatis sancti An-
 „geli in Belgio suæ Sanctitatis Inter-
 „nuntii, voluit, & mihi insinuari cu-
 „ravit, ut dictum mandatum revoca-
 „rem: Cum tamen præterquam quod
 „antiquitus ita observatum sit, & in
 „Synodo Provinciali Mechliniensi a
 „summo Pontifice Paulo V. confirmata,
 „pro regula constitutum sit, tit. 5. c. 1.
 „de Sacramento Pœnitentiæ verbis
 „comprehensis articulo hic adjuncto,
 „etiam Sanctissimus D. N. nuper [suq
 „Brevi expedito anno Domini 1648.
 „14. Maji in causa Episcopi Angelopo-
 „litani, id ipsum voluerit observari, de-
 „cernens Regulares, etiam Societatis
 „Jesu in una Diæcesi ab Episcopo ap-
 „probatos ad Confessiones personarum
 „Sæcularium audiendas, nequaquam
 „posse in alia Diæcesi hujusmodi Con-
 „fessiones audire sine approbatione Epi-
 „scopi Diæcesani, prout Eminentiss
 „vestris scio esse notorium.,

„Hæc sunt, Eminentissimi ac Re-
 „verendissimi Patres ac Domini, quæ
 „pro disciplinæ Ecclesiasticæ bono fa-
 „cræ Congregationi vestræ significare
 „volui, confidens pio ejus Zelo & vi-
 „gilantiæ, quod non gravabitur mihi
 „adhuc alios efficaciores modos & me-
 „dia præscribere, quibus ejusmodi non
 „negligendis abusibus obviare possim;

Sæc. XVII. „& cum omni submissione veneranda
 A. C. 1653. „purpuras vestras maneo. „

§. XLVI.

*Jansenistarum molimina post promul-
 gatam Innocentii X. Con-
 stitutionem.*

*Hist. des
 cinq. Prop.
 de Jans. l. c.
 Diar. S. A-
 mour. Jan-
 senis. Hist.
 brev.*

Quamvis Jansenistæ quinque propo-
 sitiones illas velut genuinam Jan-
 senii doctrinam, paulo ante propugna-
 sent, ac propterea earum damnatio-
 nem toto nisu impedire studuissent, moti
 tamen ubi Innocentii X. Bullam non modo
 in Galliis, sed & in omnibus ferme Re-
 gnis & Provinciis promulgatam, re-
 ceptamque fuisse compererant, ut ean-
 dem Constitutionem, quam nec palam
 impugnare audebant, nec ei sese sincere
 submittere, decorum censebant, variis
 saltem effugiis cavillationibus, &
 versutiis eluderent, studiose quamplu-
 rimis in vulgus sparsis libellis demo-
 strare nitebantur, quinque harum pro-
 positionum doctrinam non esse doctri-
 nam Jansenii, nec eas etiam damnatas
 fuisse in sensu Jansenii, neque in hoc
 sensu a Papa eas damnari potuisse, eo
 quod ea sit quæstio facti, quam nec
 Pontifex, nec ipsa Ecclesia definire pos-
 set: inde autem ortum traxit contro-
 versia de infallibilitate Pontificis, &
 sua